



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniæ, 1723**

XXVII. Quòd privatus amor à summo bono maximè retardet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

Abjecere omnia non licet , quia  
natura sustentanda est : requirere  
autem superflua , & quæ magis de-  
lectant , lex sancta prohibet : nam  
aliàs caro adversus spiritum insole-  
sceret.

Inter hæc , quæso , manus tua me  
regat & doceat , ne quid nimium  
fiat.

## C A P U T   X X V I I .

*Quòd privatus amor à summo bo-  
no maximè retardet.*

1. **F**ili, oportet te dare totum pro  
toto , & nihil tui ipsius esse.

Scito quòd amor tui ipsius magis  
nocet tibi , quàm aliqua res mundi.

Secundùm amorem & affectum  
quem geris , quælibet res plus vel  
minus adhæret.

Si fuerit amor tuus purus , sim-  
plex & bene ordinatus eris , sine ca-  
ptivitate rerum.

Noli

Noli concupiscere quod non licet  
habere.

Noli habere , quod te potest im-  
pedire , & libertate interiori pri-  
vare.

Mirum quòd non ex toto fundo  
cordis te ipsum mihi committis ,  
cum omnibus quæ desiderare potes  
vel habere.

2. Quare vano mœrore consu-  
meris ? Cur superfluis curis fatiga-  
ris ?

Sta ad beneplacitum meum , &  
nullum patieris detrimentum.

Si quærvis hoc vel illud , & volue-  
ris esse ibi vel ibi , propter tuum  
commodum & proprium benepla-  
citum magis habendum ; nunquam  
eris in quietudine , nec liber à folli-  
citudine, quia in omni re reperietur  
aliquis defectus , & in omni loco erit,  
qui aduersetur.

3. Juvat igitur non quælibet res  
adepta , vel multiplicata exterius:  
sed potius contempta , & decisa ex  
corde radicitus.

M

Quod

Quod non tantum de censu æris  
& divitiarum intelligas , sed de ho-  
noris etiam ambitu , ac vanæ lauda-  
tionis desiderio : quæ omnia tran-  
seunt cum mundo.

Munit parum locus , si deest spiri-  
tus fervoris : nec diu stabit pax illa  
quæsita forinsecus , si vacat à vero  
fundamento status cordis ; hoc est,  
nisi steteris in me : permutare te po-  
tes, sed non meliorare.

Nam occasione ortâ & acceptâ,  
invenies , quod fugisti , & am-  
plius.

## O R A T I O

### *Pro purgatione cordis & cœlesti sapientia.*

4. **C**onfirmia me Deus per gra-  
tiam Sancti Spiritus.

Da virtutem corroborari in inte-  
riori homine , & cor meum ab om-  
ni inutili sollicitudine & angore  
evacuare , nec variis desideriis trahi  
cujuscunque rei , vilis aut pretiosæ;  
sed